MASTER
NEGATIVE
NO.

91-80344-14

AUTHOR:

KRANER, FRIEDRICH

TITLE:

FRIDERICI KRANERI OBSERVATIONES IN ALIQUOT

PLACE:

MISENAE

DATE:

[1852]

Master Negative #

91-80344-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C16
EZ61 Kraner, Friedrich,
...Friderici Kraneri Observationes in aliquot Caesaris locos de interpolatione suspectos. Misenae, ex officina C.E.Klinkichtii, [1852]
26 p. 27 cm.

At head of title: Memoriam anniversariam dedicatae Scholae regiae Afranae... indicit Fridericus Franke...

53554

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 11/27/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCCIX ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

CALENDIS IULIIS MDCCCLII.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

FRIDERICUS FRANKE

DR. PHIL. ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROF. I. ORD. REG. SAX. ALBERT. EQUES.

Friedrich Kraner

Praemittuntur

FRIDERICI KRANERI *Observationes in aliquot Caesaris locos de interpolatione suspectos.*

MISENAE,

EX OFFICINA C. E. KLINKICHTII ET FIL.

1852.

Qui nostra aetate ad emendandos et illustrandos C. Iulii Caesaris commentarios operam ac studium contulerunt viri docti, eorum industria et acumine id maxime effectum est, ut accuratissima de codicum familiis deque earum fide et auctoritate instituta quaestione, firmiore nunc, quam olim, fundamento nitatur iudicium de Iulianorum scriptorum, qualia ad nos pervenerint, conditione. Inchoatum a Schneidero, acutissimi ingenii viro, opus egregie absolvit Carolus Nipperdeius, qui singulari mentis acie ac sagacitate, et accuratissima doctrina instructus, insigni quadam iudicii constantia et quasi severitate unus omnium maxime ad artis legem emendandorum horum librorum rationem revocavit, et neque superstitiose inveteratis sordibus, quibus infectos esse hos commentarios patet, pepercit, neque temere, quae certa sunt et dubitari nequeunt, turbavit. Diligenter igitur ab eo antiquis monumentis excussis et apparatu critico aptius, quam a quoquam factum est, digesto, id consecuti sumus, ut quae Caesarem scripsisse integrorum librorum auctoritate probabile sit, accurate discernantur ab interpolatorum, qui saepe certissimae fraudis convincuntur, blanditiis; ut taceam de magna eorum locorum multitudine, in quibus demonstratis omnium codicum erroribus primus investigavit verum. Ita iam eo rem perductam esse gaudemus, ut qui postbac in Caesaris commentariis elaboraturus sit, huius viri recensione pro fundamento uti et possit et debeat. Nam quamvis etiamnunc, quae est antiquorum scriptorum conditio, satis multa, praesertim in commentariis de bello civili, in quibus optimorum codicum auctoritate destituimur, restent, quae nondum persanata sunt, tamen iam hoc in lucro ponendum est, quod via monstrata videtur, qua in iudicanda et, si id fieri umquam potest, restituenda vera Caesaris oratione procedendum necessario sit, et quod acute plerumque apertis et detectis vulneribus, vel inscitia vel fallacia librariorum ortis, sicubi medicinam afferre nondum contigit, eius tamen ab aliis hac via inveniendae spes facta est, quandoquidem hoc quum omnino, tum in arte critica usu venit, ut, qui errores detraxerit, partem veri aperuisse putandus sit, licet id ipsum, quod verum est, non invenerit, cum, ubi alii errarunt, alii facilius verum intelligant. Itaque quum mihi ab Hauptio et Sauppio, quorum auspiciis scriptorum graecorum et latinorum. qui in scholis legi solent, editiones parantur, oblata esset Caesaris edendi conditio, hoc maxime mihi agendum esse putavi, ut quae egregia viri docti opera in his libris effecta sunt, iis diligenter ita uterer, ut si quid sive rectius sive certe verisimilius invenisse mihi viderer, proferre non dubitarem. Illarum autem editionum quoniam ea est ratio, ut a re critica, quae non est

puerorum, prorsus sit abstinendum, data hac scribendi occasione nonnullos locos, de quibus in ipsa editione dici non potuit, diligentius placet pertractare. Versabitur autem disputatio in iis potissimum locis, qui de interpolatione aut iure aut iniuria suspecti videntur. Inter omnes enim, qui Caesaris libros et criticorum de iis quaestiones noverunt, constat, nulla re magis genuinam orationis formam adulteratam esse in codicibus, quam diversissimi generis interpolationibus, idque non in deterioribus tantum libris factum esse, sed etiam in optimis ac praestantissimis, ut ex codice antiquo tamquam communi fonte eas fluxisse consentaneum sit, quare ne consentienti quidem codicum testimonio ubique fides haberi potest. Adeo autem frequentia illa in libris additamenta sunt, atque ita comparata, ut verissime iudicare videatur Nipperdeius (Quaest. Caesar. p. 45), haec exemplari illi, unde interpolata librorum familia originem duxit, a grammatico esse ascripta, qui commentarios non enarrabat solum discipulis, sed etiam Caesaris verbis in aliam formam convertendis alere copiam et elegantiam discentium cupiebat. Supplementa igitur illa maximam partem inserviunt explicationi scriptoris verborum, quae fere semper aut prorsus est supervacanea, aut etiam falsa, nonnunquam autem adeo audacter illata, ut vel numerorum notationes, spatiorum definitiones, temporum intervalla, quibus describendis Caesar abstinuit, addantur aut falsa aut nulla perspicua de caussa. Accedunt interpolationes eo haud dubie ortae, quod, quum ipsa scriptoris verba in antiquis libris oblitterata essent et corrupta, aut male legerentur, probabilem aliquam sententiam et quae intelligi posset, corruptae substituere conati sunt grammatici. Haec quo melius intelligantur, et singula, quae commemoravi, interpolationum genera exemplis demonstrentur, initio ex magna copia paucos quosdam locos, qui cum maxime in promptu sunt, in testimonium adhibere placet, in quibus aut nemo iam de interpolatione dubitat, aut pauci tantum suspectam librorum scripturam probabili emendationi praeferunt, ut simul etiam harum interpolationum natura et librariorum audacia cognita, eorum, quae infra proponentur maiori dubitationi obnoxia, quasi venia paretur et excusatio.

De b. Gall. I. 39, 2. „Hic (timor) primum ortus est a tribunis militum, praefectis reliquisque, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant.“ Hic recentiores editores omnes omiserunt ea, quae in codicibus nonnullis, in quibus est sane optimus, Bongars. I., post „secuti“ scripta sunt: „magnum periculum miserabantur quod“; ea enim Caesarem non scripsisse post Apitzium (Schedae critt. in comment. d. b. Gall. p. 9) Schneiderus vidit, nisi quod hic, quam animo infixam tenet de Ephemeridibus, ex quibus commentarios confectos esse statuit, opinionem, ex his illa verba ab aliquo, qui aditum ad eas habuisset, in commentariorum locum illata esse arbitratus est, quae suspicio omnino refutata est a Whittio (praef. edit. comment. d. b. G. p. IV.), Nipperdeio (p. 5. sequ. et 45), Weissenbornio in Bergkii et Caesaris Ephemer. a. 1845 p. 43 sqq., qui quidem illa verba genuina putat. Huic etsi in eo assentior, ut Schneideri rationem, propter sequentia ferri ea posse negantis, probandam non putem; consideratis tamen variis codicum lectionibus, quae haud dubie diverso modo illatis, quae in margine posita erant, verbis ortae sunt, certum videtur, haec non scri-

ptori, sed grammatico deberi, qui quae infra leguntur §. 4: „commune *periculum miserabantur*“, huc transtulit, ut tristitiae causam notaret, quibus receptis „*quod*“ additum est, quae frequens est interpolationum origo. Atque apertum est, bene cohaerere: „qui (iuvenes nobiles, qui nondum stipendia fecerant et tribunorum ac praefectorum titulis ornati imperatores in castra sequi solebant) ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant“, non item alterum: „qui — Caesarem — secuti magnum periculum miserabantur.“ (Cf. Nipperd. p. 41 et 47.)

Quae initio secundi commentarii leguntur: Cum esset Caesar in citeriore Gallia in *hibernis*, post Goerlitzium (Emendatt. Iulian. Viteberg. 1827.) plerique intellexerunt, ferri non posse, cum extremo primo libro Caesar ad conventus agendos in citeriorem Galliam profectus esse, hiberna autem in Sequanis collocata dicantur. Neque enim cum Schneidero, quem nuper secutus est Seyffertus, ita defendi possunt ea verba, ut cum aliquid militum ad praesidia tuenda in Gallia eum habuisse credibile sit, in *hibernis* fuisse dicatur imperator, siquidem quae per totum annum in praesidiis sunt copiae, per hiemem non magis dici possunt in hibernis esse, quam imperator, qui, cum ad conventus agendos profectus sit, non ducis sed proconsulis provinciam administrantis munere fungitur, cum unus, qui per hiemem aliquo loco versatur, non sit in *hibernis*.

Huic loco statim adiungere alium placet lib. III. 1, 6, in quo similis latere videtur interpolatio. Leguntur ibi haec: Galba — constituit cohortes duas in Nantuatibus collocare et ipse cum reliquis eius legionis cohortibus in vico Veragrorum — hiemare. Cum hic in duas partes flumine divideretur, alteram partem eius vici Gallis ad hiemandum concessit, alteram vacuam ab his relictam cohortibus attribuit.

In his *ad hiemandum* cum Hotomanno plerique editores collocaverunt post „cohortibus.“ Quod Schneiderus, qui codices sequitur, ascripsit: „Galli appropinquante Galba dimidio vico relicto, in quo ille hiemaret, alteram partem occupaverant eamque ut per hiemem sibi tenere liceret, ab eo petierant, id quod eis concessit“ probare non possum. Ferrem, si sermo esset de Gallorum aliquo exercitu, cui ad hiemandum concessisse alteram vici partem diceretur Galba; at sunt ii incolae eius vici, qui quum Romani ibi hiemare vellent, pro toto vico, quem ante incoluerant, partem habitabant. Non expulit igitur eos sede sua, sed concessit, ut partem, flumine divisam, habitarent, non autem *ad hiemandum* concessit, nec fuerunt ea Veragrorum *hiberna*. Quemadmodum enim *hiberna* non dicuntur, nisi castra exercitibus ad hiemandum constituta, ita *hiemare* apud Caesarem non aliter usurpatur, nisi de exercitu per hiemem in castris versante. Iam quamvis maxime supervacaneum sit, Galbam dici eam partem suis *ad hiemandum* concessisse, quae Hotomanni sententia est, cum eum ibi hiemare voluisse ante dictum sit, facilius tamen hoc ferrem neque a Caesare alienum putarem, nisi probabilius arbitrarer, quod iam Davisius proposuit, explicandi causa haec adiecta inepto loco scriptoris verbis inserta esse. Dixit igitur, credo: alteram partem eius vici Gallis concessit, alteram — cohortibus attribuit, quemadmodum in sequentibus dicit: ex ea parte, quam Gallis concesserat. Certe

hoc addi potuisse, non minus videtur verisimile, quam multa alia, de quibus non iam dubitant viri docti.

Quod supra dictum est, vel dierum, quibus aliquid factum diceretur, numeros inepte intulisse librarios, eius rei luculentum exemplum est libr. II. c. 2, 5: „Tum vero dubitandum non existimavit, quin ad eos proficisceretur", ubi post „ad eos" in libris quibusdam perperam adiectum est „duodecimo die", quum et certa temporis significatio per se inutilis sit et huic loco parum conveniat, et a celeritate, qua utendum putavit, tam multorum dierum mora prorsus abhorreat. Fuerunt quidem, qui, quum interpolationis origo obscura esset — Schneiderus hic quoque de Ephemeridibus cogitavit — corrupta potius, quam interpolata ea verba putarent, quare propere, primo die, primo quoque die coniecerunt. Sed quoniam librorum, qui ea habent, auctoritas exigua est, et aliis etiam locis, de quibus infra dicetur, in simili caussa peccatum est, non videtur in excogitandis, quae dici potuisse verisimile sit, opera perdenda esse.

Quanto opere scriptoris mentem corrigendo et augendo perverterint grammatici, facillime apparet ex vv. libr. II. c. 15, 4. „Nullum aditum esse ad eos mercatoribus; nihil pati vini reliquarumque rerum inferri, quod iis relanguescere animos et remitti virtutem arbitrabantur." In his quamquam quum ab aliis tum ab Nipperdeio demonstratum est, quae in deterioribus codd. post „rerum" leguntur „ad luxuriam pertinentium", Caesarem non scripsisse, non omnibus tamen, qui nuper ediderunt hos commentarios, id persuasum est. At patere videtur, Caesarem dicere, Nervios nihil omnino inferri voluisse, quum quae ad duram, quam agebant Nervii, vitam necessaria essent, ipsa terra proferret, ac propterea omnia, quae mercatores importaturi essent, tanquam supervacanea et quae animos effeminarent, reiecisse, quemadmodum l. IV. 2 de Suevis dicitur: mercatoribus est aditus magis eo, ut quae bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam quo ullam rem ad se importari desiderent. Nec minus certum videtur, Caesaris non esse, quod sane in omnibus libris est: relanguescere animos eorum, partim quia, ut cum Madvigio ostendit Nipperdeius, suos hoc loco necessario dicendum fuisset, partim quia non verebantur, ne sui cum maxime animi iis rebus relanguescerent, sed ita eas comparatas putabant, ut animi et virtutes hominum omnino remitterentur, sicuti IV. c. 2, 6 dicitur: „vinum ad se omnino importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines et effeminari arbitrabantur." Quare quum inepte pronomen, ut, quoniam de Nerviis sermo est, de horum animis diceretur, requirerent, intulerunt eorum *).

Inutili additamento aucta est Caesaris oratio III. 2. 3: „Id aliquot de causis acciderat, ut

*) Eodem modo aliis locis pronomina praeter necessitatem adiecta sunt. Eo ipso, quem supra laudavimus, loco vulgo legebatur: mercatoribus est aditus ad eos, quae vv. in optimis libris omissa sunt. I. 42, 6: „non irridicule quidam ex militibus decimae legionis dixit: plus quam pollicitus esset, Caesarem facere", in quibusdam libris ei facere scriptum est, quod Weissenb. l. l. p. 52 retinendum dixit. I. 26: „qui si iuvissent, se eodem loco illos, quo Helvetios habiturum", ante Oudendorpium legebatur, qui librorum auctoritate pronomen delevit.

subito belli renovandi legionisque opprimendae consilium caperent: primum quod legionem, neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus et compluribus singillatim, qui commeatus petendi causa missi erant, propter paucitatem despiciebant." Hoc loco post „missi erant", deteriores libri habent „absentibus", quod editores tantum non omnes omiserunt. Qui illorum codicum conditionem consideraverit, verisimilius, credo, putabit, hoc ascriptum esse, quod vv. „compluribus singillatim" proprio ac singulari participio egere viderentur, quam casu vel negligentia librariorum, ut Schneiderus arbitratur, in melioribus libris oblitteratum esse. — Bell. civ. I. 79, 3: „Si mons erat ascendendus, facile ipsa loci natura periculum repellebat, quod ex locis superioribus qui antecesserant, suos ascendentes protegebant." Hic recte Nipperdeius desuper, quod ante „suos" ex quinque deterioribus libris additum est, delevit, nec dubia esse potest interpolationis caussa. Ac fortasse ipsa vox eam prodit, si vere Lachmannus ad Lucret. p. 375 ante Vergilium a Caesare desuper scriptum esse negat. Etenim hic deleta ea voce, unus tantum restat Caesaris locus b. Gall. I. 52, 5, quo ea usus esse videri possit: „qui in phalangas insilirent — et desuper vulnerarent"; sed ibi Lachmannus de supero scribendum iudicavit.

Qui factum sit, ut semel corrupta aliqua voce vel sententiae parte, ea corruptio, ut verba intelligi possent, interpolationis caussa fieret, id apertissime probatur b. G. I. 54. 1: „Quos ubi, qui proxime Rhenum incolunt, perterritos senserunt, insecuti magnum ex his numerum occiderunt." In his ab omnibus editoribus praeter Schneiderum accepta est Beati Rhenani emendatio „quos Ubii, qui — incolunt, perterritos insecuti" omisso senserunt, quod patet, pro „Ubii" in libris scripto „ubi", adiectum esse, ut manca oratio compleretur. Idem accidit libr. V. 43: „Hostes maximo clamore sicuti parta iam atque explorata victoria, turres agere coeperant." Hic quum in interpolatis codd. „sicuti" in „insecuti" vel „secuti" mutatum esset, scriptum deinde est „quasi parta iam victoria", quum id sententia loci, illa mutatione obscurata, requireret.

Fortasse simili modo turbatus locus est, in quo ego quidem in pervagata explicandi ratione acquiescere non possum.

II. 30. „Ubi vineis actis, aggere exstructo turrim procul constitui viderunt, primum irridere ex muro atque increpitare vocibus, quod tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur: quibusnam manibus aut quibus viribus praesertim homines tantulae staturae — tanti oneris turrim in muro sese collocare confiderent?" Haec trium non optimorum codd. scriptura a Schneidero et Nipperdeio recepta est, reliqui omnes praebent „in muros", quod plerique editores ita probaverunt, ut aut iuxta muros aut adversus seu contra muros (interpres graecus *πρὸς τὸ τεῖχος*) significare dicerent. Hoc pluribus de caussis ferri non posse, demonstravit Schneiderus, qui, si in muros scripserit Caesar, accusativum pro ablativo positum esse ait, simul tamen plurali numero offensus *). In muro autem, quod praetulit, non propterea repudian-

*) Lippertus parum probabiliter pluralem ita defendit, ut ad c. 29, 3 „quem locum duplici altissimo muro munierant" respici putet, quibus addit: welche Doppelmauer wahrscheinlich in der Mitte zwischen der äusseren und inneren mit Erde ausgefüllt sein mochte, s. Veget. IV. 3, Vitruv. I, 5.

dum esse dicit, quod turris in ipso muro locari non potuerit; Aduaticos enim, homines imperitos, id ipsum conari Romanos credidisse et propterea irrisisse. Hoc ut verum putem, persuadere mihi nullo pacto possum. Quantumvis enim fuerint ignari barbari rei militaris Romanorum, non adeo fuerunt inepti, ut in muro turrim collocatum iri putarent. Nimirum tam stultos esse Romanos, ut in murum altissimum, magni ponderis saxis et praeacutis trabibus munitum (c. 29, 3), ad quem igitur ne accedere quidem poterant, quare urbem magno vallo circummuniverunt (c. 30, 2), tantae magnitudinis turrim extollere se posse confiderent, ne barbari quidem homines opinati sunt, praesertim quum, id quod et ipsum, vel nulla umquam tali machinatione conspecta, intelligere debebant, si semel in murum escendissent Romani, nullum profecto usum futurum fuisse turris in muro collocatae certum esset. Itaque hoc iis haud dubie patebat, ad oppugnationem muri, non ut eo conscenso usui esset, condi turrim, ut muri altitudinem machina aequaret. Quare nisi Caesar, quid mirati essent Aduatici, parum recte intellexisse, aut consulto quam ineptissimos eos ostendere voluisse putandus est, non possunt ita Gallorum verba intelligi. Nec profecto illud riserunt, ut ipsa Caesaris verba monstrant, sed quod tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur, et quod, qua oppugnare vellent urbem, non ibi, ubi ea uti possent, sed tanto a muro intervallo conderetur a Romanis, cum eam, homines scilicet infirmi atque invalidi, admovere ad murum non possent. Iam vide sequentia. Ubi viderunt, turrim moveri et adpropinquare ad urbem, nova et inusitata specie commoti, legatos ad Caesarem de pace miserunt, qui in hunc modum locuti: „non existimare se, Romanos sine ope divina bellum gerere, qui tantae altitudinis machinationes tanta celeritate promovere possent, se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt.“ Non igitur exspectabant, dum in muro collocare turrim conarentur, sed cum moveretur, id factum fuisse apparet, quod fieri non posse putarant Galli, cum risissent conditam inepto loco machinam. Hinc mihi certum videtur, in muro collocare Caesarem non scripsisse. Cum vero etiam in muros, quamquam sententia, quam inesse voluerunt viri docti, per sese minus inepta est, ob alias caussas ferri non possit, non dubito ego, quin corruptione, et quae eam secuta est interpolatione, locus depravatus sit. Opinor enim in antiquissimo libro scriptum fuisse: turrimmouerese; orto autem per dittographiam, quam dicunt, in (quod hoc loco, sequente etiam littera m facillime fieri potuisse apparet), et mouerese corrupto in murosese, illatum deinde est, ut absolveretur sententia, collocare, ut scripsisse Caesarem putem: „quod — tanti oneris turrim movere se confiderent.“ Nam ne hoc quidem facere posse Romanos, irridentes machinam, quia admoveri non posset, nihil profuturam, pronuntiarant. Hoc modo et antecedentia apta sunt et sequentia recte coniunguntur: ubi vero moveri (quod non exspectarant) et adpropinquare viderent cett. — Ceterum in transitu commemoro aliam in hac ipsa narratione factam interpolationem c. 31, 2, ubi in vv.: „qui tantae altitudinis machinationem tanta celeritate promovere possent“ in dett. libris post „promovere“ additum est: „et in propinquitate pugnare.“

Similis pari caussa ortae interpolationis suspicio subnata mihi est libr. II. 6, 2, ubi de

Bibractis, urbis Remorum, oppugnatione, a Belgis instituta. narrat Caesar. Ibi dicit: „Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est haec. Ubi circumiecta multitudine hominum totis moenibus undique in murum lapides iaci coepti sunt, murusque defensoribus nudatus est, testudine facta portas succedunt murumque subruunt. Quod tum facile fiebat.“ Hic quod ab omnibus editoribus receptum est „succedunt,“ duo tantum codd. deteriores habent, in reliquis omnibus legitur „succendunt.“ Hoc repudiatum esse aegre tulerunt Apitz. Schedd. critt. in Caes. comm. d. bell. Gall. p. 14. Görlitz. Emendatt. Iulian. p. 5, qui negant, a quoquam coniungi posse „portas succedunt et muros subruunt.“ Praeter hos etiam Weissenborn. in Bergk. et Caesar. Ephemeredibus a. 1845. p. 54. librorum scripturam praefert: „Man sieht nicht ein, warum sie blos an die Mauern vorrücken sollen, ohne etwas zu unternehmen. Die handschriftliche Lesart succendunt ist vielleicht als conatus aufzufassen, s. Reisig Vorlsgn. S. 498. Anm.“ Priora quae dixit, probo; nam ne mihi quidem probabile videtur, Caesarem dixisse, eos portas successisse, ut murum subruerent, quam verborum sententiam esse omnes interpretes Vossio crediderunt, qui hanc ad portas accedendi caussam fuisse dicit, „quod facilius avellitur lapis, ubi terminatur murus, quam aliis partibus, ubi compages tota firmitatem habet et ubi lapis alter alterum claudit.“ Inventa haec sunt, opinor, ad illam scripturam explicandam ac defendendam neque ullo ex innumerabilibus illis, quibus murorum oppugnationes describuntur, loco comprobantur. Ac si vel maxime certum esset, prope portas facilius subrui muros (cui rei structura muri et lapidum compage provideri et poterat et debebat, si illis maxime locis muros subruere consuevissent Galli; nam non de una aliqua oppugnatione, sed de eo, quod facere solebant Galli, sermonem esse tenendum est), hoc alio modo dicturum et verbo certe significaturum fuisse Caesarem credibile est, praesertim quum, si dicuntur Galli portas successisse, quivis potius de iis refringendis (Liv. 38, 3: caedebantur et refringebantur portae. Tacit. Hist. 3. 28: subruere vallum, quatere portas) vel comburendis (Caes. b. G. 7. 11, 8: portis incensis), quam de muro in earum vicinia subruendo cogitaturus sit. Ut autem hoc Caesarem iis, quibus usus esse putatur, verbis, dicere non potuisse concedo, ita succendunt aptum non esse persuasum mihi est. Praeterviderunt enim, quod recte animadvertit Schneiderus, sequentia verba: „quod tum facile fiebat,“ quae, si „succendunt“ scriptum esset, illo die Bibractis portas incensas esse probarent, quod factum non esse, sequentia demonstrant. Quodsi de conatu haec dici arbitratur Weissenbornius, cavit is quidem ab illo errore, sed de subruendis muris, qui maioris molimenti labor est, rectius id dici, quam de succendendis portis, patet. Quod autem ad Petrarcham provocat Apitz., quem, cum dicat, „denique iam murum subrui, iam portas incendi“ erroris convincere alteram scripturam opinatur, nihil id aliud demonstrat, quam illum in codice suo invenisse, quod reliquos etiam libros habere certo scimus, ut Petrarchae auctoritate, quam nullam esse nunc cognitum est, non egeamus. Haec ipsa autem librorum scriptura emendationis viam monstrat. Etenim quum in libro antiquissimo eo errore, cuius permulta exempla commemorat Oudendorpius. pro succedere scriptum esset suc-

cendere, non adesset autem, quod succenderetur, ascriptum est „portas." Id enim et rei ipsius et huius loci ratio aliorumque locorum similitudo ostendit, Caesarem scripsisse: „ubi — undique lapides in murum iaci coepti sunt, murusque defensoribus nudatus est, testudine facta succedunt murumque subruunt." Aperte enim Caesar nihil aliud narrat, quam Gallos post oppugnationem eminus institutam, ubi lapidibus deturbati defensores sunt, cominus pugnare et muros subruere solitos esse. Ac vide locum simillimum Sall. Iug. c. 57, 4: „Romani pro ingenio quisque, pars eminus glande et lapidibus pugnare, alii *succedere* ac *murum modo suffodere*, modo scalis aggredi", quo loco, item interpolationibus turbato, recte vidit Dietschius „apertissime duo tantum genera oppugnandi, cominus et eminus, distingui." His adde eiusdem Sall. Iug. c. 94, 3: Marius — *testudine acta succedere* et simul hostem tormentis — eminus terrere. Tacit. Hist. c. 27: Primo sagittis saxisque eminus certabant — tum elatis super capita scutis, *densa testudine succedunt*. Neque aliter Caes. b. Gall. 7. 85, 7: Alii tela coniiciunt, alii *testudine facta subeunt*. Hoc igitur (ut muro lapidibus undique iactis nudato defensoribus, succedentes murum subruere conarentur) quum in aliis oppugnationibus, tum in hac Belgas fecisse narrat Caesar. Aptissime enim iam sequuntur: „Quod tum facile fiebat. Nam cum tanta multitudo lapides ac tela coniicerent, in muro subsistendi potestas erat nulli"; sed perrumpere conantes dies defecit.

Eadem ratione nescio an emendationis via monstrari possit in loco, de quo pauci dubitarunt, plures autem de sententia securi errarunt: libr. I. c. 8: „Interea ea legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex provincia convenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit — murum fossamque perducit." Hic quamquam eo quod dicunt, a Caesare Rhodanum per lacum Lemannum non mixtis aquis fluentem eius aquas secum trahere, lacum igitur in ipsum influere dici, cavere studuerunt, ne miro errore lapsus lacumque Rhodani esse fontem opinatus videretur*), admodum tamen mira est dicendi et rei describendae ratio. Neque enim quos certatim laudant locos, de bell. Gall. 7. 57: perpetuam esse *paludem*, quae influeret in Sequanam, et Strab. IV. 9. p. 287: ὄρος — λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἴσαρον, cum hoc apte comparari posse, iam Schneiderus vidit. Iam vero, si vel hoc concedamus, ita, ut interpretes arbitrantur, rem cogitasse vel paulo negligentius expressisse Caesarem

*) Herzogius tamen et, qui eum religiose sequitur, Ludwigius minus honeste de Caesare statuerunt, quorum hic adnotavit: Die Rhone fliesst durch den Genfer See, wie der Rhein durch den Bodensee. Cäsar kannte aber wahrscheinlich den Ursprung der Rhone nicht, sondern hielt ihn für den Abfluss des Genfer See's. Et huic explicationi non dubitavit locum ascribere, quem reliqui omnes, sed alia profecto mente et aliam interpretationem secuti compararunt, libr. VII. 57: perpetuam esse paludem, quae influeret in Sequanam. Non reputarunt illi, inepto illo errore ineptiorem etiam dicendi rationem futuram fuisse; nam si e lacu Lamanno oritur flumen, quo tandem modo dici potest, lacum in Rhodanum influere, cuius fons et origo putatur, ut effluens lacus Rhodanum efficere, non autem in Rhodanum, qui nullus est, priusquam lacus aquas effundit, influere possit.

(Schneiderus „Rhodanum," inquit, „non misceri lacu Lamanno geographi testantur. — Itaque exiens aquas eius secum trahere et lacus in ipsum influere videtur"), quamquam verisimilius est, eum Rhodanum ex lacu profluere, quam lacum in flumen influere dicturum fuisse, recte tamen Nipperdeius quaesivit, quid ea res ad munitionem Caesaris pertineret. Inutile enim fuit, hic, ubi de situ munitionis agitur, docere lectores, lacum in Rhodanum influere, quum *qua* potius exspectetur, quo locus, unde murus a Caesare conditus initium ceperit, significetur; ex quo apparet, longe etiam ineptius esse, quod Glareanus et Rhenanus coniecerunt: „quem flumen Rhodanum influit", ut reliqua, quibus ea coniectura refutatur, taceam (v. Schneid. not. crit.). Alia ratio eorum est, quae sequuntur: ad montem Iuram, *qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit*. Nam haec cur addita sint, perspicua caussa est. Ad eum enim citerioris ripae locum perducenda munitio fuit, quo ab altera parte Iura, qui Sequanos ab Helvetiis dividit, flumen attingit, ut, cum superiore fluminis parte muro prohiberentur, si ultro progredi vellent, necessario difficili et angusto inter Iuram et Rhodanum itinere, ubi facile pauci prohibere possent (vid. c. 6, 1), in Sequanorum fines transeundum fuerit. Ut igitur haec ad rem, quae describitur, accommodatissima videntur, ita illa ab ea aliena sunt et parum idoneo modo adiecta. Itaque aut, si quis Caesarem dicere potuisse putat, lacum in flumen influere, scribendum est „qua", ut ea ipsa lacus pars, qua exit flumen i. e. meridionalis, significetur, aut, quoniam muri descriptio aperte flagitat, ut, qua porrectus ille fuerit, dicatur, gravius etiam affecta haec verba scriptumque a Caesare putabimus: „*Qua flumen Rhodanus fluit.*" Mutato enim per errorem „qua" in „qui", reliqua ita immutata esse arbitror, ut verba intelligi certe possent et qualemcumque sententiam praeberent, praesertim quum, nota illa, quae inter flumen et lacum intercedit, ratione, proclivis esset ad eam mutationem via. Atque commemorari certe potest, quamquam id magni non fecerim, in duobus codd. *in* omissum esse, in totidem aliis non Rhodanum, sed *Rhodani* legi et unum (Vindob. A) non *influit*, sed *fluit* habere. Illam igitur sententiam cum necessariam putarem, sicuti requiri eam Nipperdeius dicit p. 52, non dubitavi in hunc modum mutata verba in editione exhibere, siquidem magis pueris ea usuris consuli videtur, apta contra libros restituta, quam inepta cum libris servata sententia.

Haud dubie eo, quod scriptoris verborum quae ratio esset, non satis recte intellectum est, interpolatus est locus, quem permultis coniecturis tentaverunt viri docti. Is legitur libr. I. 17, 3: „Hos seditiosa oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod praestare debeat, si iam principatum obtinere non possint, Gallorum, quam Romanorum imperia perferre, neque dubitare debeant, quin, si Helvetios superaverint Romani, una cum reliqua Gallia Haeduis libertatem sint erepturi." Hoc loco ex multis, quae prolatae sunt, emendationibus (ea enim est eius ratio, ut quae requiritur sententia, de qua dubitari non potest, non uno modo apte exprimi possit) mihi etiam maxime probabilis visa est Daehnii sententia, qui restituta codicum scriptura „quod [frumentum] praestare debeant", pro eo, quod ex coniectura positum est: „quod praestare debeat", et mutato, quod in plerisque codicibus est „perferre" in

„praeferre", alterum *debeant* spurium iudicavit, quod non dubito quin ascriptum sit, ut qui praecedunt infinitivi, quorum rationem non intellexerunt, haberent, unde apti essent. Recte autem vidit Nipperdeius, illos, qui improba oratione Haeduos a frumento conferendo deterrebant, se praeferre neque dubitare dixisse, cum suam sententiam tanquam omnibus sequendam ponerent; quod qui non intellexerunt ex superioribus *debeant* repetierunt. Quem locum comparavit Nipperdeius libr. VII. 14, 10: „Haec si gravia aut acerba videantur, multo illa gravius aestimare, liberos, coniuges in servitutem abstrahi, ipsos interfici," cum propterea diversum dixerim, quod ibi iis, quae gravia aut acerba videntur Gallis, ea opponuntur, quae ipse Vercingetorix gravius aestimet, ut paulo alia orationis forma esse videatur. Nihilominus tamen vel eo loco in deterioribus quibusdam codicibus post „aestimare" adiectum est „debere." Oehlerus, qui in editione Teubneriana reliqua omnia ex Daehnii et Nipperdeii praecepto restituit, simul tamen etiam „debeant" retinuit, qui coniunctivus, cuius ratio olim, quum supra „quod praestare *debeat*" scriberetur, patebat, quomodo nunc locum habere possit, non video. *Debere* enim tum scribendum fuisse, certum videtur et coniecit olim Apitz. Schedd. critt. p. 5.

Quos in superioribus commemoravi locos aut omnibus, aut quibusdam certe de interpolatione suspectos, in iis vel meliorum codicum auctoritas, vel sententia et rei ipsius ratio suspicionem movit. Quo certius autem vel ex paucis illis locis apparet, qua via ad eam, quam nunc videmus, conditionem delati sint Caesaris libri, eo minus mirum videtur, crevisse editorum suspicionem et delendi audaciam, ut sedulo cavendum sit, ne nimiae cuidam libidini indulgeamus et Caesarem pro grammatico corrigentes sui dissimilem eum faciamus. Qua in re nemo plura et graviora ausus est Apitzio, qui in schedis criticis ingentem glossematum, quae invenisse sibi visus est, quasi quandam praedam collectam cumulavit. Saepissime enim non satis memor singularis Caesarianae orationis indolis, neque reputans, quanto opere ille summo, quod in eo conspicuum est, perspicuitatis studio, verborum non parcus, ibi etiam, ubi facile singula recte intelligi possunt omnia, verborum delectu et copia, repetitionibus, synonymis, explicationibus planam orationem ac dilucidam facere studeat, quidquid ad sententiam non prorsus videtur necessarium, quibusque nos lectores carere posse opinatur, iis scriptorem etiam abstinuisse et adiectis explicationibus scriptoris verba corrupta esse putat, etiam ubi in libris nullum eius rei vestigium comparet. A qua re quam diligenter cavendum sit, uno tantum exemplo demonstrare placet, libr. III. 6, 4: „Quo proelio facto — maxime frumenti commeatusque inopia permotus postero die omnibus eius vici aedificiis incensis in provinciam reverti contendit ac nullo hoste prohibente aut iter demorante incolumem legionem in Nantuatis — duxit." Hic sibi persuasit, inepta esse, quippe idem atque „prohibente" significantia „aut iter demorante." Ex libro VII. 40 igitur allevisse aliquem margini: „nullo hoste iter demorante", idque deinde, inepte *aut* addito, in Caesaris orationem illatum esse, quasi idem sit prohibere, quominus quis proficiscatur, atque iter eius demorari. Atqui is ipse locus VII. 40: „immisso equitatu iter eorum moratur atque impedit", cuius scilicet

recordatus tenacissimae memoriae librarius, huc ea transscribere operae pretium duxit, vel monstrare debebat, bene utrumque coniungi potuisse, neque „aut" inepte positum esse. Quum enim gravius sit impedire et prohibere, quam morari, ut altero loco recte positum est moratur *atque* impedit, ita priore, cum negativa sententia sit, inverso ordine dicit: „nullo hoste prohibente *aut* (nam ne hoc quidem factum est) iter demorante." Praeterea autem, id quod interpretes quidam mirifice amant, provocat ad Graecum commentariorum interpretem, quem dudum illam correctionem suasisse ait vertentem: *οὐδενὸς δὲ πολεμίου τῆς ὁδοῦ αὐτὸν ἀποκωλύσαντος*: quem patet, contractis, ut facit, in unam sententiis, non singula verba accurate, sed vim eorum reddidisse, *iter* autem certe legisse. Quid quod addit: „neque aliud legit Fr. Petrarcha, qui haec habet: inde statim *nullo obstante* in Allobroges, Romanam provinciam, est reversus." Haec quam nihil probent, quum suis verbis eum rem narrasse appareat, non est, quod dicatur. Omnino mirum est, quam saepe priorum temporum editoribus et interpres graecus et Petrarcha fraudem fecerit, quorum illum certum est, ubi de singulis verbis iudicandum est, non posse in testimonium adhiberi, quum saepissime satis putaverit, sententiam locorum, non singula verba reddere, et quod gravius est, ex melioribus, quam quibus nos utimur, fontibus non hausisse, adeo ut non ad libros manu scriptos, sed ad editos seculo sexto decimo factam eam interpretationem esse arbitretur Schneiderus (Praefat. p. XLIX); hic autem, ut recte idem Schneiderus (p. XLI) iudicat, „codicibus Caesaris, iisque non optimis, liberius, ut licebat, et ita usus est, ut quid in illis fuerit, minime ubique pro certo dici possit." Quam mire autem abusi sint ea auctoritate quidam viri docti, ex paucis apparebit exemplis. Libr. III. 8, 2, quod contra libros Herzogius exhibuit: „ab iis *fuit* initium retinendi Silii atque Velanii, pro *fit*, id tuitus est interpretatione graeca: „der Metaphrast las fuit; er hat: *πρότεροι κατέσχον*. Scilicet is praeterito pro praesenti historico, ut sexcentis aliis locis, usus est, quemadmodum eodem capite §. 3: Trebium Terrasidiumque *retinent*, *κατέσχον* interpretatus est. Libr. IV. 1, 5: „Reliqui qui domi manserunt." Ita recte nunc legitur in libris pro „manserint", quod mire defendit Herzogius, refutatus ille ab Apitzio l. l. p. 31; sed ridiculum est, quod hic ad indicativum firmandum addit: „Recte metaphr.: *οἱ ἐν τῇ πατρίδι καταμείναντες*. Itaque indicativus praeferendus est," videlicet ex participio, utrum legerit interpres, auguratus.*)

---

*) Libr. I. 25, 5 leguntur haec: „Tandem vulneribus defessi et pedem referre et, quod mons suberat circiter mille passuum, eo se recipere coeperunt." Hic Schneiderus genitivum *mille passuum* non ad subaudiendum nomen intervalli aut spatii, quae reliquorum interpretum sententia est, sed ad praecedens nomen montis referendum putat, ut „mons mille passuum" genitivus qualitatis, quem dicunt, putandus sit, non minus ille, ut arbitratur, perspicuus, cum de distantia agi verbum „suberat" ostendat, quam ubi de altitudine agitur: ein Berg von 5000 Fuss, atque huic genitivo similia dicit: tridui viam I. 38, frumentum dierum triginta VII. 71. Eandem sententiam amplexus est Lippertus p. 555, qui explicat: ein Berg von ohngefähr 1000 Schritten, nämlich hinsichtlich der Entfernung, welche Bestimmung der Zusammenhang leicht ergänzt. His autem addit: *Der Metaphrast in der That*: ὄρος οὐ πλεῖον

Unum praeterea, sed aliam etiam ob caussam, adiicio locum **I. 17, 6**: „Ab iisdem nostra consilia quaeque in castris gerantur hostibus enuntiari: hos a se coërceri non posse. Quin etiam, quod necessario rem coactus Caesari enuntiarit, intellegere sese, quanto id cum periculo fecerit, et ob eam caussam quam diu potuerit, tacuisse.“ Hic defendens Herzogius dicendi usum: n e c e s s a r i o c o a c t u s, addit: der griech. Uebersetzer hat *ἀναγκαῖον ἀναγκασθείς*. Quasi vero unquam Graecis *ἀναγκαῖον* pro adverbio fuerit. Nimirum legitur apud eum: *ὅτι τοῦτο τὸ πρᾶγμά σοι ἀναγκαῖον ἀναγκασθεὶς κατεῖπον*, ut eum quod in codicibus est „necessariam rem“, in libro suo invenisse appareat. Hanc ipsam autem scripturam, quam octo libri, in quibus est praestantissimus, praebent, prorsus neglexerunt omnes, acquiescentes in semel recepto illo „necessario“, nisi quod Lipsio placuit „necessaria re“, quod est in Bongars. sec.; Weissenborn. autem l. l. p. **51**, quod propius abesse a codicum scriptura videretur: „necessario e a m“ scribendum coniecit. Omnes interpretes demonstrare studuerunt, recte coniungi posse „necessario coactus“, de quo nemo potest dubitare; num autem ut corrupta putemus, quae codices habent, necessario cogamur, id nemo quaesivit. Res haec est. Quum Caesar Haeduorum principes, quos in castris habebat, in his Divitiacum et Liscum, graviter accusasset et multo gravius, quod esset destitutus, questus esset (c. **16**), Liscus, ut rei invidiam ab Haeduis et iis principibus, qui aderant, averteret, aperuit Caesari, esse nonnullos, qui improba oratione Haeduos a frumento conferendo deterrerent, soli igitur illius rei culpam sustinerent. Eam autem esse Haeduorum conditionem, ut in magnum periculum ipse

---

τεττάρων σταδίων ἀπέχον, nur in der Zahl sich irrend. Nimirum haec Lipperto genitivum qualitatis testari videntur! Scripsit autem ille liberius contractis in unam sententiis: *πρὸς ὄρ. οὐ πλ. τ. σταδίων ἀπέχον ἀπεχώρησαν*. Schneiderum fateor me mirari de illo genitivo cogitare potuisse, quem ne linguae quidem ratio ferre videtur. Quam enim diversum sit, ubi de altitudine agitur: ein Berg von 5000 Fuss, facile patet: hoc enim profecto proprium est montis, natura sua definitum, distantia autem ab aliquo loco (et quam multi possunt cogitari), non potest esse in iis rebus, quae simplici casu genitivo significantur, licet verbum adsit, quod distantiam significet. Nec profecto „frumentum triginta dierum“ simile putari potest. Plerique interpretes mille passuum suppleto nomine spatii explicandum putaverunt, comparantes quum alia, tum Cic. ad Att. V. 16: nos in castra properabamus, quae aberant bidui. Sall. Hist. Fragm. libr. 9: Insulae fortunatae decem stadium procul a Gadibus sitae. Qui ob similem ellipsin laudatur Caesaris locus bell. civ. II. 24, 4: „Abest directo itinere ab Utica paulo amplius passuum mille“, eo loco primum nihil impedit, quominus mille, ut infra dicetur, substantivi vice fungatur, deinde ex libr. manuscr. Nipperdeius p a s s u s mille restituit. Unus praeterea memoratur locus Caesaris b. G. VII. 69, 6: „Eius munitionis circuitus XI. milium passuum tenebat“, ubi „spatium“ supplent. Sed ne hic quidem locus ei interpretationi favet, si recte ex libr. Nipperdeius restituit m i l i a. Etenim propter scribendi compendium, quo in libris vulgo haec scribi solent (cf. var. lectt. Nipperd. l. l.), facillime illi errores nasci potuerunt. Propterea Caesaris scribendi generi accommodatius videtur, ita haec verba interpretari, ut mille pro substantivo habeatur, unde aptus genitivus passuum sit, (1000 Schritte weit) ut est apud eum b. c. III. 84, 4: „ut equitum mille impetum sustinere auderent“, uti nunc librorum auctoritate legitur apud Nipperdeium. De eo usu praeter alios v. Zumpt. §. 116. Madvig. §. 72. Drakenb. ad Lib. V. 26, 5.

adductus videretur, quod non ultro, sed coactus enuntiasset r e m n e c e s s a r i a m, i. e. eine dringende Sache, non talem igitur, quae sine Haeduorum periculo celari, sed quae, ut graviora averterentur, neve Caesar in Haeduos animadverteret, instanti Caesari et graviter expostulanti, dici debuisset. Hoc ita et rei ipsi et ei, quam Liscus ostendit, menti accommodatum videtur, ut recipere non dubitarim, praesertim cum is, quem dixi adiectivi „necessarius“ usus (zwingend, dringend, drängend, quemadmodum etiam a Graecis *ἀναγκαῖος* dicitur) aliis etiam Caesaris locis defendatur. Non aliter enim dictum est **I. 39, 3**: „causa ad proficiscendum necessaria“, et „necessaria re coactus“ bell. civ. I. **40, 5**. et quo saepius (**I. 16, 6. VII. 32, 3**, et **40, 4**) utitur „necessario tempore.“ Quamquam igitur, si scripsit Caesar „necessario“, mutari id propter sequens „rem“ potuit, nemo tamen id certo factum esse asseverabit.

Grammaticorum additamentis deletis quamquam permulti loci sanati sunt, cavendum tamen videtur, ne iusto citius ad eam emendandi rationem confugiamus. Facilius enim profecto est, quae aegrotant membra, recidere et amputare, quam probabilem aliquam medicinam circumspicere. Ac licet quousque inepta illorum hominum sedulitas progressa sit, definiri non possit, hoc tamen ante omnia videndum est, num quae spuria videntur et ferri non possunt, verisimile sit a quoquam addita esse, ne ipsius scriptoris verba, quae emendatione egeant, eiicere quam corrigere malimus. Atqui eo nomine nonnullis in locis a viris doctis mihi peccatum videtur. In his numero libr. **II. 27, 2**, ubi in plurimis codd. haec leguntur: „Horum adventu tanta rerum commutatio est facta, ut nostri etiam, qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi proelium redintegrarent, tum calones perterritos hostes conspicati etiam inermes armatis occurrerunt, equites vero, ut turpitudinem fugae virtute delerent, omnibus in locis pugnant, quo se legionariis militibus praeferrent.“ In his facile concedo, pro „occurrerunt“ recte ex codd. non optimis editum esse „occurrerent“, quamquam vel post ea, quae disputavit Schneiderus, nondum omnis mihi exemta dubitatio est; atque in eo etiam Nipperdeio assentior, ut, si Caesar scripsisset, quod plerique receperunt: „omnibus in locis p u g n a e se legion. militibus praeferrent“, inde in optimo codicum genere „pugnant quo“ effectum esse incredibile putem. Quod autem vir doctissimus addit: „Itaque verba „pugnant quo“ in codice archetypo ascripta esse arbitror ad proxima superiora „omnibus in locis“ explicanda, barbara oratione pro his: „ubi pugnant“; inde a magistro, elegantiore homine, o m n i b u s i n l o c i s p u g n a e effectum esse“, id mihi quidem credibile non videtur, neque consentaneum, adeo quemquam ineptum fuisse, ut, si in loco, quo pugna describitur, vv. „omnibus in locis“, quae per se planissima sunt, explicanda putaret, quod iure mireris, id faceret adeo absurdis verbis; nam ita linguae rudes nusquam videmus illos homines. Propterea hoc modo interpolata haec verba esse persuadere mihi non possum, sed corrigenda potius esse arbitror. Quod cuivis facile in mentem veniat, „pugnando“ scribi posse, id ego non commendaverim. „Pugnarent, quo — se praeferrent“, probari posse negat Nipperdeius ob eandem caussam, ob quam „pugnant quo“, praeterquam quod tempus non conveniat, probari nequeat. „Neque

enim, inquit, eo, quod omnibus locis pugnabant, ignominiam delere aut se praeferre equites poterant, sed quod, ubicumque erant, insigni virtute proeliabantur.“ Neque aliter Schneiderus, qui „quid equites vellent, inquit, verbis „ut — delerent“ ita declaratum est, ut iterum declarari nec debuerit, nec verbis: quo se — praeferrent, potuerit.“ Id secus videtur. Nego enim his verbis iterum dici, quod antecedentibus verbis satis declaratum est; nam diversa utriusque sententiae ratio est. Fortissime pugnasse legionarios in superioribus narratum est, atque ipsi calones inermes armatis occurrerunt. Itaque si hoc tantum diceret Caesar, equites insigni virtute proeliatos esse, non fuisset, quo se praeferrent legionariis, qui et ipsi ubicumque pugnarunt, insigni id virtute fecerunt. Dicitur igitur his verbis, quid fecerint, ut turpitudinem fugae delerent: circumvolitantes enim, ubicunque suo auxilio opus esset, pugnarunt, eaque re se legionariis militibus, qui in acie constituti suo loco pugnabant, praeferre studebant. Itaque si scripsisse Caesarem putamus: equites vero, ut turpitudinem fugae virtute delerent, omnibus in locis pugnarent, quo se legionariis militibus praeferrent. (idem edidit Oehlerus in ed. Teubn.), non bis idem dixisse putandus erit Caesar. Eodem errore, quo supra „occurrerent“ transiit in „occurrerunt“, hoc loco „pugnarent“ per compendium (pugnãnt) scriptum abiit in „pugnant“, unde in octo deterioribus codicibus effectum est „pugnabant.“ *)

Non magis quam hic eiectis, quae suspecta visa sunt, verbis sanatum vulnus esse iudico libr. I. 24 init., ubi in integris codicibus leguntur haec: „Postquam id animum advertit, copias suas Caesar in proximum collem subducit equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quattuor veteranarum, ita, uti supra: sed in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat et omnia auxilia collocari ac totum montem hominibus compleri et interea sarcinas in unum locum conferri et eum ab his, qui in superiore acie constiterant, muniri iussit.“ Vitia, quibus hic locus laborare videtur, alii alio modo sanari posse putarunt. Qui verba, ut supra scripta sunt, probaret, primus exstitit Schneiderus, qui verbis „ita uti supra“ respici dicit ad ea, quae c. 22, 2 leguntur: „Caesar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit.“ At vero quod alio etiam tempore in colle aciem instruxit, id per se tam nullius momenti esse, ut credibile non sit, haec cum illis comparaturum et ad ea nos remissurum fuisse Caesarem, iam ab aliis intellectum est, ut omittam, non „ita uti supra“ sed „ita uti antea“ dicendum fuisse, quod planum fecit Nipperdeius. Hoc igitur quum probari vix posset, vulgo codicis Leidensis, recepta ab Oudendorpio, scriptura exhibita est: „Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quattuor veteranarum, ita uti supra se in summo iugo duas legiones — collocaret“, quod miror a quoquam probari potuisse.

*) Similis corruptio est libr. IV. 1. 10. „Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles haberent quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta et lavantur in fluminibus.“ Hic cum tempora non convenirent, „habeant“ et „laventur“ posuerunt. Sed recte cum Weissenbornio „lavarentur“ scripsit Nipperdeius.

Etenim, si quicquam, hoc incredibile videtur, tam mire res diversissimas coniunxisse Caesarem, ut diceret, se *in medio colle* triplicem aciem *ita* constituisse, ut *in summo monte* — *duas alias legiones*, quae ad illam triplicem aciem prorsus non pertinerent, constitueret. Itaque quum, quae in libris scripta essent, ferri non posse viderentur, vv. „ita uti supra“, quum alii, tum Nipperdeius eiicienda putarunt, tanquam additamentum eius, qui verba capitis 22., quae Caesarem respexisse Schneiderus iudicavit, comparanda putaret. Iam vero, quamquam credi fortasse potest, quod Caesarem fecisse iure negatur, id librarium facere potuisse, tamen vel sic nego, ita comparatos esse hos locos, ut quemquam haec legentem illorum aut meminisse aut memoriam hic iniicere operae pretium putasse verisimile sit. Goerlitz. Emendatt. Iulian. p. 4: „Verba, inquit, margini aliquis adscripserat eo consilio, ut remitteret se vel lectorem ad cap. XXII, in quo similis res narratur, nihil curans, illum aciei instruendae modum ab hoc diversum esse; id solum spectabat, quod summum est, *aciem a Caesare esse instructam.*“ Scilicet aciem instructam narrari, adeo memorabile visum est nescio cui, ut antea idem accidisse admonendos lectores putaret. Ceterum Whittius, qui et ipse ea verba delenda indicat, non ad c. 22, sed ad c. 21, 2: „Labienum legatum pro praetore cum duabus legionibus summum iugum montis ascendere iubet“, respici putat, adeo incertum visum est, quid spectasset librarius, quoniam in re ipsa nihil inest, quod ad certum locum nos deducat. Propterea mihi quidem certum est, deletis illis verbis, quorum originem illo certe modo nego explicari posse, locum non sanari. Accedunt enim aliae caussae, quae receptam a viris doctis scripturam improbabilem reddant. Ac primum quidem si scribitur: sed in summo iugo — *collocari* ac totum montem *compleri* et sarcinas in eum locum *conferri* et eum — *muniri* iussit, ingratissima efficitur sententia, quae mira rerum et natura sua et tempore diversarum, uno enuntiato coniunctarum cumulatione offendit. Maxime male me habent hac orationis forma interposita „ac totum montem compleri“, quae etiam Whittio adeo displicuerunt, ut ea suspecta indicaret. Mirum enim videtur, totum montem hominibus compleri *iussisse* Caesarem, quandoquidem, si tanta fuit militum copia, ut suo numero montem complerent, (neque enim quos alios homines significet Caesar, videmus) reapse id consecutum est, neque erat, cur tanquam singularem rationis, quam iniit, partem imperaret. Praeterea dubitari fortasse possit, num Caesar hac sententiarum perpetuitate (ipse in colle medio aciem instruxit, *sed* in summo iugo d. leg. collocari iussit) *sed* particula usurus fuerit. Propter ea, quae dicta sunt, non eiicienda illa verba, sed emendanda et corrigenda esse arbitror. Quae enim in libris inveniuntur variae lectiones, ea non ortae sunt inserto illo, quod putatur, glossemate, sed quia in antiquissimis libris turbata quaedam erant. Atque in nonnullis, haud sane optimi generis codicibus pro *ita uti* legitur *itaque*; plerique pro *sed* habent *se*, alii *collocaret* et *compleret*, editiones veteres *collocarit*. Haec vestigia secutus scripsisse Caesarem suspicor: Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit leg. qu. veteranarum, *atque* supra se in summo iugo duas legiones et omnia auxilia *collocavit* ac totum montem hominibus *complevit* (pro „compleri et“); interea sarcinas

— conferri et — muniri iussit. Horum pars quum esset corrupta, reliqua etiam deinceps mutata sunt. Illo autem modo singula non incommode miscentur, sed apte coniuncta sese excipiunt; quaeque in vulgata scriptura offensioni fuerunt: „ac totum montem compleri," ea hic bene significant, quid collocatis in monte et medio et summo militibus effectum sit, ut non iusserit fieri Caesar, quod ex ipsa re consecutum est. Quodsi hoc etiam quibusdam displicuit, quod dictum est: Caesar collocari et compleri iussit, non, qui vulgaris etiam apud Caesarem de imperatoribus dicendi usus est: Caesar collocavit, ei quoque rei hac quam posui scriptura providetur, ita ut legiones instruxisse et collocasse ipse, sarcinas autem conferri et muniri, ut par est, iussisse dicatur. Quamquam enim non nego, alterum etiam dici potuisse, usu tamen hoc praefertur; aptioribus certe ad illud defendendum opus fuit exemplis, quam quae laudavit Schneiderus libr. VII, 70 et V. 11: „legiones equitatumque revocari et itinere desistere iubet", ubi cur non dixerit „revocavit," satis apertum est.*)

Bell. civ. III. 19, 2 leguntur haec: „Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea, quae maxime ad pacem pertinere viderentur, ageret et crebro magna voce pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace duo legatos mittere, quod etiam fugitivis ab saltu Pyrenaeo praedonibusque licuisset, praesertim cum id agerent, ne cives cum civibus armis decertarent." Quod codices habent „duo" sive „duos", ineptum esse dudum intellectum est. Non tamen credibile esse arbitror, cuiquam in mentem venisse, ineptissimum hoc loco legatorum numerum adiicere, cuius caussam ne absurdissimus quidem homo in ipsa re invenire potuit. Propterea non possum mihi persuadere, criticorum officio defungi, qui voculam, cuius origo ostendi non potest, delent, sed graviore aut interpolatione aut corruptione locus affectus videri debet. Itaque aut „suos" aut „tuto" proposuerunt viri docti, quorum illud ferri non potest, hoc sententia certe, quae requiritur, commendatur, praesertim cum infra sequatur: „quemadmodum tuto legati venire possent." At alia etiam ex parte laborare videtur locus. Etenim si dixisset Caesar: „liceretne civibus ad cives de pace legatos mittere", non credo eum additurum fuisse, quae sequuntur, quum idem significent neque quicquam novi addant, prorsus supervacanea: „praesertim quum id agerent, ne cives cum civibus armis decertarent", qua in re ita offenderunt quidam (Davisius, Apitzius, cf. etiam Heldius), ut praeter ineptum illud „duo" etiam vv. „de pace" eiicienda putarent. Ita sane celerrime transigitur negotium. Ut concedam, quoniam de pace agitur, addere aliquem potuisse, eos de pace legatos mitti

*) Weissenborn. l. l. p. 58. si in melioribus libris esset itaque, pro itaque suprased scribi posse ait: atque super eas et. Ego ut „atque" proponerem non motus sum illorum codicum scriptura, quibus multum tribui non posse scio, quamquam vel hi corruptionis rationem monstrare possunt. Quodsi quis violentius bonorum codicum lectionem (ita uti) mutatam dicat, reputandum est, praeterquam quod in locis pluribus ex partibus corruptis non semper licet singularum depravationum origines quasi oculis proponere, casu vel negligentia obscurato atque, et in uti mutato (quo sequens supra ducere potuit), ita, ut aliis locis apud Caesarem factum est, inferri potuisse; cf. II. 19, 6; VII. 76, 1, ubi codd. auctoritate ita eiecit Nipperdeius. Nescio an idem faciendum sit II. 1, 1.: ita uti supra demonstravimus.

velle, non tamen hoc modo respondetur ad id, quod iure quaeritur, quomodo duo oriri potuerit. Nam Apitzium quis audiat suspicantem, alienum fuisse supplementum: de pace II, i. e. de pace amborum. Mihi, quamquam certi quid definire non ausim, aliud quid hoc loco desiderari videtur. Cap. 17, 2 postulaverat Caesar a Libone, ut legatos sibi ad Pompeium sine periculo mittere liceret; ille nec legatos recepit nec periculum praestitit (ibid. §. 5). Iam alia ratione per colloquia de pace agere conatus est, cum castra flumine tantum separarentur. Vatinius igitur a Caesare missus, interrogavit, liceretne, quod antea negatum erat, civibus ad cives legatos mittere, non — de pace, nam mittendi caussa statim additur, nec simpliciter, credo, num mittere, sed num sine periculo, quod non praestiterat Libo, mittere liceret rogavit; nam mitti poterant, si periculum subire volebant. Propterea infra responsum videmus, Aulum Varronem visurum, quemadmodum (ut recte nunc editur) tuto legati venire et quae vellent exponere possent. Haec quum aperte requirat loci sententia, gravius affecta esse Caesaris verba opinor eamque corruptionem ipsum illud duo, quod nego ascriptum esse, testari *).

Quoniam ad hunc locum delati sumus, de antecedentis capitis extremis verbis pauca addere placet. „Bello perfecto ab iis Caesar haec dicta cognovit, qui sermoni interfuerunt; conatus tamen nihilo minus est, aliis rationibus de pace agere." Concedit quidem Nipperdeius, indefinitae significationi „aliis rationibus" per se recte apertiorem „per colloquia" superaddi posse; sed id hic alienum putat. „Nam, inquit, quae illae rationes fuerint, seq. c. luculenter explicatur, atque oratio ibi ita instituta est, ut de re nondum declarata dici appareat. Neque enim, nisi res ignota etiamtum legentibus adiungeretur, sequentia sine ulla coniunctione inferrentur. Itaque verba „per colloquia" a magistro profecta esse duxi." Addi illa verba per se non necessaria potuisse, non nego; caussas viri docti non probaverim. Videtur enim mihi in eo errasse, quod distinctionibus positis vv. „per colloquia" pro appositione verborum „aliis rationibus" haberi voluit. Nam hoc si facimus, tum sane dubitationis, quam movit, caussa videtur esse. Atqui per colloquia Caesar iam ante egerat (c. 16, 3: eo cum venisset, evocantur illi ad colloquium). Quodsi iam aliis rationibus agendum putat, non eae sunt aliae rationes, quod per colloquia agit, sed quod per colloquia aliter instituta agit. Antea enim legatos miserat, qui colloquerentur, iam palam inter ipsa castra instituto colloquio, ut „ab

*) Fuit, quum putarem, id ipsum, quod supra c. 17, 2 legitur „sine periculo mittere", hic quoque locum habere posse. Priorem enim voculae sine partem quum vox „cives" absorbuisset et quod restaret, ne in de mutatum esset, „paceduo" ex „periculo" oriri potuisse putabam, praesertim quum, quia de pace sermo est et praecedit etiam: „quae maxime ad pacem pertinere viderentur", proclivis ad eum errorem via esset. Quodsi quem offendunt eadem, quibus supra usus est, verba repetita, id neque per sese apud Caesarem magni momenti est, et credi possit, haec certae cuiusdam formulae, quae in ea re usu venerit, speciem prae se ferre. Sed quamquam in his de bello civili libris, qui in codd. mire corrupti sunt, maxima saepe ausi sunt viri docti, non tamen, si haec violentius mutata videbuntur, oblocuturus sum.

utrisque militibus" (c. 19, 3) audiretur, efficere studuit, quod colloquio cum Libone habito frustra conatus fuerat. Non igitur dicit: er suchte auf andere Weise, nämlich durch Unterredung, sed „auf andere Weise durch Unterredung, als er früher gethan hatte, über den Frieden zu verhandeln. Atque hoc modo explicatis verbis, sequentia non minus apte adiungi patet, quam deletis illis verbis.

Cum illo loco, in quo numerus inepte additus putabatur, alium contendo, ubi in eadem re peccatum est in codicibus Bell. Gall. III. 12, 1: „Erant eiusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis et promunturiis neque pedibus aditum haberent, cum ex alto se aestus incitavisset, quod bis accidit horarum XII spatio, neque navibus, quod rursus minuente aestu naves in undis afflictarentur." Non dubito, quin iis, qui „bis" qualicumque modo defendere conati sunt, rectius statuerint Schneiderus et Nipperdeius, qui eum numerum salva veritate consistere posse negarunt, cum aestum duodecim horarum spatio semel se ex alto incitare constaret neque Caesarem in hac re errasse credibile esset. Qui ut „bis" tuerentur, „horarum XXIV spatio" scribendum coniecerunt, eos recte refutavit Schneiderus, neque magis probandi videntur, qui interpunctione salvam sententiam fieri iudicarunt: „bis accidit, semper hor. XII. spatio", i. e.: es geschieht zweimal, jedesmal nach Verlauf von 12 Stunden. Hoc enim modo non potuisse dici, nisi „cotidie" suppleatur, quod omitti a scriptore vix potuit, certum videtur. Neque quod Schneiderus recepit ex duobus codd. „his", neque, quod in margine Gothani primi est „hic" probari posse, ostendit Nipperdeius, qui „mihi, inquit, omnium maxime verisimile videtur, „bis" adiectum esse ab eo, qui hoc inciso non de accedente tantum aestu, sed etiam de minuente, qui statim commemoratur, dici existimaret." Rectissime abesse illam vocem, facile concedo, adiectam esse hoc modo et hac de caussa, non item; nam ita res diversas, accedentem aestum, quo pedites prohiberentur, et minuentem, quo naves afflictarentur, quemquam mente coniuncturum fuisse, ut id numeri illius eo loco addendi aut caussam aut occasionem certe praebuerit, non credibile mihi videri fateor. Itaque ne hic quidem delendo eo, quod quomodo illatum sit perspici non potest, sed emendando succurrendum arbitror. Quamquam nihil ausim affirmare, non ineptum tamen videtur suspicari, pro „his" scribi posse „iis", ut sententia haec sit: erant eiusmodi situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis, cum ex alto se aestus incitavisset, pedibus aditum non haberent, quod (i. e. ut ob eam caussam adiri non possint) accidit iis (oppidis) semper hor. XII spatio. Quoniam igitur tam brevibus intervallis redeunte aestu muniebantur illa oppida, eorum oppugnatio impediebatur. (§. 2.) Quod in duobus codicibus est „his", non recte rettulit Schneiderus ad Gallos, qui in superioribus non commemorantur: ad oppida autem commode refertur iis; neque in iis ea inest oppositio, cui his inservire voluit Schneid., cum maris mediterranei littora non tantam aestus commutationem pati diceret, quantam Oceani; quam comparationem hic aptam non esse, ostendit Nipperdeius. *)

*) Non inutile videtur commemorare. in quinque. iisdemque melioribus libris pro „accidit" legi „accedit." Eam permutationem quamquam frequentissimam esse scio, tamen, cum aestus maris accedere et aestus commutatio accessus maris a Latinis dicatur, alia etiam emendandi ratio cogitari possit.

His locis, in quibus interpolatione peccatum esse persuadere mihi non potui, alios quosdam opponere placet, in quibus mihi dubitandum non videtur, quin ipsa res librariorum fraudem prodat.

I. 47, 1: „Biduo post Ariovistus ad Caesarem legatos mittit: Velle se de his rebus, quae inter ipsos agi coeptae neque perfectae essent, agere cum eo: uti aut iterum colloquio diem constitueret, aut, si id minus vellet, e suis legatis aliquem ad se mitteret. Colloquendi Caesari causa visa non est, et eo magis, quod pridie eius diei Germani retineri non poterant, quin in nostros tela coniicerent. Legatum e suis sese magno cum periculo ad eum missurum et hominibus feris obiecturum existimabat." Quamquam planum videtur, „legatum e suis" non posse significare: „einen von seinen Legaten", tamen fuerunt, qui id non intelligerent. Cf. Lippert. in adn. ad h. l., Horkel. Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit T. I. p. 149. Hos mirum est non vidisse, id ne latinum quidem et re ipsa ineptum esse, quod nisi e suis (Romanis) non habebat in exercitu legatos; nam ita tantum ferri haec possent, si legatos, qui non essent e suis, opponeret Caesar aut opponere posset. Propterea vere Schneiderus „Hic legatum Caesar vulgari significatione dicere videtur"; sed quod addit „atque ita arrogantiam Ariovisti tacite castigare videtur", in eo acumine suo abusus videtur vir sagacissimus. His enim verbis, quibus non respondet Ariovisto, (nam hoc si faceret, facilius illud credi posset), sed quid ipse existimaverit, refert, non potest ulla Ariovisti castigatio contineri, nisi quis inferre in scriptoris verba velit, de quibus ipse non cogitavit, praesertim cum, quicumque mittitur, sive legatus, sive centurio, sive miles non possit nisi legati nomine appellari, ut, cum dicit, se legatum e suis periculo obiiciendum non putasse, non possit id tacite opponi ei, quod postulavit Ariovistus, ut legatus (ein Legat) sibi mitteretur. Nimirum nihil dicit Caesar, nisi noluisse se Romanum aliquem obiicere barbari hominis feritati, ob eamque caussam Gallos misisse, in quibus peccandi caussa Ariovisto non futura videretur. Iam quamquam per se nec mirum est nec raro fit, ut eadem vox diversa dicatur significatione neque ignoro eam, quam Schneiderus dicit „in nexu sententiarum conspicuam simplicitatem, qua Latini scriptores diversa sine indicio diversitatis iungere solent", hoc loco, si quid video, ipsa res videtur docere, non ita diverso in eadem re eiusdem nominis usu singula opposuisse scriptorem, ut cum ille postulasset ex eius legatis aliquem, hic mittere se noluisse diceret legatum e suis. Etenim ne in eo quidem consentio cum Schneidero, quod dicit, Ariovistum non eum fuisse, qui aliquem ex Caesarianis quovis loco et dignitate ad se mitti vellet, sed ex legatis, i. e. ex iis, qui primum dignitatis locum tenerent, aliquem mitti iussisse. Mihi vero quam maxime veri dissimile videtur, Suevum illum adeo accurate exercitus Romani ordines distinxisse, ut mira et affectata ambitione hanc proponeret conditionem, ut legatus,

non alius ad se mitteretur Caesarique praescriberet, cuius dignitatis hominem ire iuberet, praesertim cum per se consentaneum esset, Caesarem non militem gregarium, sed unum ex iis, qui aliqua apud se essent auctoritate missurum fuisse. Itaque quum id tantum Ariovistum voluisse appareat, si ipse Caesar nollet ad colloquium venire, ut aliquem e suis mitteret, satis apertum videtur ad verba „e suis aliquem" quae sola sunt Caesaris, ascriptum esse legati nomen, unde inepte factum est „e suis legatis aliquem", quod in cod. Vind. F, aptiore sane sententia, in „legatum aliquem" mutatum est.

Libr. V. 9, 1. „Caesar exposito exercitu et loco castris idoneo capto, ubi ex captivis cognovit, quo in loco hostium copiae consedissent, cohortibus decem ad mare relictis et equitibus trecentis, qui praesidio navibus essent, de tertia vigilia ad hostes contendit, eo minus veritus navibus, quod in littore molli atque aperto deligatas ad ancoram relinquebat, et praesidio navibus Quintum Atrium praefecit." Postrema non uno nomine mendosa dicit Nipperdeius: „Primum inepte Atrius praesidio navibus praefectus esse dicitur, cum in uno homine nullum possit esse praesidium. Recte singularis homo praesidio, ut hoc utar, relictus esse vel restitisse dicitur, omnino, cum verbum ita comparatum est, ut de militibus quoque poni possit. Tum enim duce commemorato copias cum eo fuisse sponte intelligimus. Praeficiendi autem verbo milites excluduntur." Haec vere disputata esse, quivis concedet. At, si recte recentiorum editorum mentem percipio, non ita haec verba intellexerunt, neque Atrium dixerunt navibus praefectum esse praesidio i. e. ut esset praesidio, sed praefectum eum esse praesidio navibus i. e. praesidio, quod navibus relictum est, ut „navibus" aptum esset ex „praesidio" *). Quam recte id factum sit, nunc non quaero; hoc manifestum est, si hac ratione explicantur verba (neque alia, si ita scripsit Caesar, cogitari potest), ob eam certe caussam, quam dixit Nipperdeius, mendosa videri non posse. Neque alterum illud, quod eidem displicuit, iam in ea cadit. Addit enim: „Cum iam supra cohortes decem et equites trecentos ad mare relictos esse declaratum sit, ridicule deinde Atrius navibus praesidio praefectus dicitur, quasi haec duo essent diversa praesidiorum genera." Verum secundum illam, quam dixi, structurae rationem, non duo sunt genera, sed illi ipsi, quod navibus posuit, praesidio praefectus est Atrius. Ut igitur illud, quod putavit, mendum corrigeret, scribendum dixit Nipperd.: „et praesidio navibusque Quintum Atrium praefecit." Hoc per se admodum verisimile esse non nego, praesertim quum sequatur „Quintum", qua voce obscurari potuit „que", nisi forte probabilius videtur, ne scriptum quidem fuisse „Quintum", sed compendium vocis „que", id quod alibi etiam factum est (cf. Nipperd. ad bell. civ. III. 2. Quaest. p. 153) in Quinti nomen abiisse. Nihilo tamen secius fateor, me dubitare, num navibus etiam Atrium praefectum esse dixerit Caesar.

*) Unus sane omnia mire miscet Ludwigius, qui eo, quem aperuit Nipperdeius, errore similia his putavit Nep. Thrasyb. 3. 1 „Pausanias Atticis venit auxilio" et tamen addidit: „Das Eigenthümliche unserer Stelle liegt darin, dass praefecit zu praesidio und zu navibus bezogen werden kann. Ueber die Verbindung praesidium navibus s. Zumpt. §. 681."

Quas enim reliquit ad custodiendas naves cohortes, iis ipsis praeficiendus fuit dux, quare simpliciter narrare videtur, reliquisse se cohortes et equites, qui navibus praesidio essent eique praesidio praefecisse Atrium. (Hoc enim apertum est, non posse coniungi „quod deligatas ad ancoram relinquebat et Atrium praefecit", ut haec etiam caussa esset, cur minus navibus vereretur, sed coniungenda esse „ad hostes contendit et praesidio Atrium praefecit" v. Schneid. et Seyffert.). Quamvis autem incertum putem, num „navibusque" scripserit Caesar, hoc tamen certum mihi videtur, eo, quo vulgata scriptura plerumque explicatur, modo Caesarem non coniunxisse „praesidio navibus": den Oberbefehl über die Bedeckung für die Schiffe gab er dem Atrius. Nam ut taceam, in re satis declarata perquam supervacaneum fuisse addere, navibus illud fuisse praesidium, dativus ille, quem non apte defendi arbitror exemplis a Zumptio laudatis §. 681, hoc loco et in hac narrationis simplicitate nescio quid contorti habet et quod a Caesaris genere abhorreat. Nec similia sunt, quae comparavit Heldius bell. civ. I. 85: „omnia iam pridem contra se parari, in se novi generis imperia constitui, ut idem ad portas urbanis praesidia rebus et duas — provincias obtineat." Propterea ipsa, qua singula membra sese excipiunt, ratio ostendere mihi videtur, non dixisse Caesarem praesidium navibus, sed scripsisse „et praesidio Qu. Atrium praefecit." Nam „navibus" additum est ab aliquo, qui ut ante dictum est „qui praesidio navibus essent" (et c. 11.: easdem copias, quas ante, praesidio navibus reliquit), inepte hic illum dativum aut desideravit aut explicandi caussa ascripsit.

Quam hic adiecit Nipperdeius que particulam, ea saepius addita est a librariis, quam omissa. Ex multis unum commemorare placet locum, in quo deleta ea particula vera verborum sententia restitui videtur. Libr. II. 4: „De numero eorum omnia se habere explorata Remi dicebant, propterea quod propinquitatibus affinitatibusque coniuncti quantam quisque multitudinem in communi Belgarum concilio ad id bellum pollicitus sit, cognoverint. Plurimum inter eos Bellovacos et virtute et auctoritate et hominum numero valere; hos posse conficere armata milia centum, pollicitos ex eo numero electa sexaginta, totiusque belli imperium sibi postulare." Hic „pollicitos" plerique infinitivum putant omisso „esse," non reputantes illi, Caesarem hac sententiarum perpetuitate vix dicturum fuisse: hos posse conficere, pollicitos (sc. esse), postulare, cum neque perfecto aptus locus sit, quemadmodum etiam in reliquis omnibus praesenti usus est, neque credibile sit, medio inter infinitivos loco „pollicitos" quam „pollicitos esse" dicere maluisse scriptorem. Schneiderus, qui non infinitivum, sed participium esse vidit, cum antecedentibus hoc verbum coniungendum putat, ut pro appositione sit. „Scilicet verbis „pollicitos — sexaginta" simul significant Remi, qua auctoritate Bellovacos armata milia centum conficere posse dicant: ipsos in concilio id ostendisse, cum ex centum milium numero sexaginta polliciti sint." Haec si recte intelligo, ferri nullo modo possunt. Quomodo enim eo, quod in concilio polliciti sunt sexaginta milia, tanquam documento uti possunt Remi, illos centum milia conficere posse? Quasi qui sexaginta milia pollicetur, eo significet, se centum m. habere. Longe alia horum verborum ratio videtur; „pollicitos" enim aperte ad

sequentia referendum est, nec scripsit Caesar „totiusque," sed „totius," ut in cod. Egmondano et Vratislaviensi primo legitur (in Parisin. sec. que ascriptum est). Dicit enim Caesar: „hos posse conficere armata milia centum; pollicitos ex eo numero electa sexaginta, totius belli imperium sibi postulare." Propterea enim, quod omnium maximum numerum polliciti sunt, imperium sibi postularunt, quod quidem deinde non ad hos, sed ad Galbam, Suessionum regem, delatum est. In hoc ipso libro secundo „que" in libris falso additum est c. 11, 4. c. 17, 2. c. 24, 1.

Difficilis et in codicibus non minus turbatus quam virorum doctorum coniecturis vexatus locus est libr. II. 17, 4: „Adiuvabat etiam eorum consilium, qui rem deferebant, quod Nervii antiquitus, cum equitatu nihil possent — quo facilius finitimorum equitatum, si praedandi causa ad eos venissent, impedirent, teneris arboribus incisis atque inflexis crebris in latitudinem ramis enatis et rubis sentibusque interiectis effecerant, ut instar muri hae sepes munimentum praeberent, quo non modo intrari, sed ne perspici quidem posset." Ita locum exhibuit non optimorum codicum auctoritate Schneiderus: nec minus dubiae fidei libros secutus Nipperdeius edidit: „teneris arboribus incisis atque inflexis crebrisque in latitudinem ramis enatis", non tamen dixit, quo modo singula intelligi vellet. Pro diversa enim, quam sibi informarunt, illius munimenti imagine, diverso modo et explicuerunt singula verba et coniecturis tentaverunt viri docti. Cf. praeter commentariorum editores Görlitz. Emendatt. Iulian. p. 6, Dederich. in Zimmermanni Ephemer. a. 1835. p. 14. Alii igitur incisas seu succisas esse putarunt teneras arbores, ut facilius inflecti i. e. curvari et curvatae inseri terrae possent, unde efficeretur sepes, qualem descripsit Curtius VI. 5, 16: „Arbores densae sunt de industria consitae, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inserunt terrae: inde velut ex alia radice laetiores virent trunci." Cf. IX. 1, 2. In qua re iure id maxime mirum visum est, quod tenerae arbores incidendae fuisse putantur, ut inflecti possent; neque hoc apertum est, quomodo, cum ex arboribus illo modo inflexis quaquaversus rami crescere soleant, ii in latitudinem enasci dicantur. Alii arbores ab summo recisas et cacuminibus truncatas esse volunt, quo crebriores, ut fit, in latitudinem ramos emitterent, eosque ramos deinde inflexos i. e. implicatos sive implexos esse. Ea interpretatio partim propterea displicuit, quod incidi ita non diceretur, partim quod inflectendi verbo non ea vis esset apud Latinos scriptores. Nam qui unus laudatur locus Columellae 5. 6: „deinde (oportebit) radices in nodum, si breves, in orbem coronae similem, si longiores erunt, inflecti", propterea quod additum est „in nodum" et „in orbem" non videtur recte comparari cum hoc loco, ubi simpliciter inflecti dicitur, quod ipsum ita offensioni fuit, ut quidam „implexis" scribendum dicerent. Reliquas coniecturas silentio transeo. Mihi enim, ut paucis dicam, nulla caussa visa est, cur a codicibus optimi generis fere omnibus recedatur, in quibus vv. „inflexis crebris" desunt; atque idem dudum senserunt Whittius (cf. Praef. p. XV.) et Weissenborn. l. l. p. 54. Quod enim Schneiderus dicit, ut adiectivum ab ipso scriptore omitti potuerit, participium quidem, quo

ramis factum aliquid a Nerviis ostenderet, quod ad sepes efficiendas ita, ut arborum incisio et ruborum interiectio pertineret, necessario ei ponendum fuisse, id verum non puto. Longe enim simplicior illa sepes fuisse mihi videtur, quam facta est ab interpolatoribus, qui ipsis Nerviis firmius illud munimentum effecerunt. Recte enim Whittius: „Duo sunt, quae ab Nerviis facta esse dicuntur, incisio arborum (unde fieri solet, ut enascantur in latitudinem rami; itaque haec sententia per cop. atque addita est,) et interiectio ruborum sentiumque." Ac bene tenendum est, quod ab omnibus neglectum videtur, haec prorsus suffecisse ad equitatum a finibus retinendum; non enim sine caussa dixit Caesar: „quo facilius finitimorum equitatum, si praedandi caussa ad eos venissent, impediret." Nimirum cum densae arbores de industria consitae, decussis cacuminibus ramos suos in latitudinem emittunt, unde sponte evenit, ut implicentur, et interiiciuntur etiam rubi sentesque, est ea profecto sepes, quae equitatum possit aditu prohibere. Propterea non video, cur optimos libros deseramus, in quibus negligentia librariorum illa verba intercidisse non maiore iure affirmatur quam negatur. Incidendi autem verbum ita dici posse, ostendit, qui laudatur locus Cic. ad Attic. IV. 2, 5: „verum iidem illi, qui mihi pinnas inciderunt, noluerunt easdem renasci." Est autem nostrum beschneiden, verschneiden; id enim fere fit etiam apud nos, quando arbores non in altitudinem, sed in latitudinem crescere ramosque germinare volumus.

Libr. I. 26, 5: „Ex eo proelio circiter hominum milia CXXX superfuerunt eaque tota nocte continenter ierunt: nullam partem noctis itinere intermisso in fines Lingonum die quarto pervenerunt." Duabus hic locus laborat difficultatibus, quarum altera non recte videtur ab interpretibus expedita, altera ne animadversa quidem est. Non loquor de ea dubitatione, quam de verbis iuxta positis: „eaque tota nocte continenter ierunt" et „nullam partem noctis itinere intermisso," quibus bis idem dici videretur, moverunt quidam editores, quorum Morus et Apitzius l. l. p. 7 vv. „nullam part. n. it. intermisso" ut glossema vocis „continenter" eiicienda putarunt, Oudendorpius autem „eaque tota nocte cont. ierunt" deleri voluit. Haec enim tantum abest ut aliena sint a Caesare, ut eius usui vel maxime convenire videantur. Difficilior quaestio est, quo modo, praegresso „eaque tota nocte" (nam ea non esse neutrum ad milia referendum, apertum est), intelligendum sit „nullam partem noctis. Ac plerique quidem his verbis subsequentes noctes sive omnino nocturnum tempus dici arbitrantur, quod nego fieri posse. Rectissime iam Beierus in Seebod. Biblioth. crit. 1826. p. 1219: „ea nox, inquit, excludit tres deinceps sequentes*);" atque Caesar, si illud dicere voluisset, certo id accuratiore oratione significasset dixissetque, Helvetios, ut prima nocte continenter ivissent, ita ne subsequentibus quidem noctibus iter intermisisse. Non fugit id Schneiderum, quamquam quae adnotavit, non omnia probare possum. „Primum, inquit, res narratur, deinde rei effectus, qui quo certius intelligatur illius rei effectus fuisse, rei comme-

*) Ob eam caussam hic scribendum putavit: eaque tota nocte continenter ierunt, nullam partem noctis itinere intermisso. In fines Lingonum pervenerunt die quarto."

moratio iteratur. Sie gingen diese ganze Nacht hindurch, und weil sie keinen Theil der Nacht geruht hatten, so kamen sie am vierten Tage in das Gebiet der Lingonen. Quod si illa nocte vel paululum quievissent, die quarto fines Lingonum non attigissent." Haec postrema mira videntur. De insequentibus noctibus ne verbum quidem; quid igitur, si prima post pugnam nocte quiescentes subsequentibus noctibus ivissent, nonne idem assecuti essent? Cur igitur in primae noctis itinere positum fuit, ut Lingones attingerent? Quis quaeso dicat: Wenn sie in dieser (ersten) Nacht auch nur eine kurze Zeit geruht hätten, wären sie — am vierten Tage nicht angekommen? Recte haberet, si intermissa illius noctis fuga postero die non perventuri fuisse dicerentur, non autem quarto die, cum plures interpositae noctes essent, quibus quod primae noctis quiete detractum fugae tempus esset, eundo compensare poterant. At videbimus, longe aliam esse temporum rationem, qua aperta illa etiam difficultas removetur. Alterum enim illud, quod dixi praetervisum ab interpretibus esse, positum est in vv. „die quarto." Pugna illa commissa est non procul Bibracte, urbe Haeduorum (Autun). Ab eo autem loco ad fines Lingonum (Langres), qui vicini sunt Haeduis, non potuit esse quatuor dierum (totidemque noctium, ut quidam volunt) iter, ne consueto quidem itinere proficiscenti exercitui, nedum concitata fuga properanti, omnibus impedimentis omissis, mulieribus etiam et liberis, qui impedimento esse poterant, ut scimus, interfectis. Dibio (Dijon), proxima Haeduorum finibus urbs Lingonum, a Bibracte urbe non longius decem milliariis abest. Iam quaeso quo miraculo evenerit, ut victi Helvetii propere fugientes, nulla parte noctis itinere intermisso quattuor dies in eo itinere consumerent, adeo ut periculum etiam esset, ne si vel paululum prima nocte quievissent, quarto die eo non pervenirent. Immo post unius noctis non intermissum iter uniusque diei spatio fines Lingonum poterant attingere. Atque ita rem, opinor, narravit Caesar, dummodo tollatur, quae vetus sive corruptio sive interpolatio hunc locum depravavit. Aut igitur pro „die quarto" scripsit Caesar „die postero", aut, quemadmodum supra p. 4. inepte additum vidimus „duodecimo die," falso adiectum esse putabimus „die quarto." Nam ipsa enuntiati ratio, commemorato unius noctis itinere, ostendit, quo die ad Lingones pervenerint; illis autem male intellectis, temporis notationem desideravit aliquis ac locorum ignoratione falsum et quod triduum moratus infra dicitur Caesar, illum maxime numerum ascripsit. Hoc autem sublato, remota est prior illa difficultas, quae posita fuit in vv. „ea tota nocte" et „nullam partem noctis." Videmus enim, Caesarem iterata eiusdem rei commemoratione efferendum putavisse, nunquam intermisso per totam noctem itinere opus fuisse, ut Lingonum fines attingere possent.

Eiusdem libri alius locus est c. 41, 5, qui simili difficultate laborare mihi videtur, non animadversa illa a viris doctis.

Caesar postquam paucos dies ad Vesontionem, Sequanorum urbem, commoratus est, confirmatis militum animis, qui certamen cum Ariovisti copiis ingenti cum animorum perturbatione horruerant, tandem Ariovisto obviam ivit. Haec ita narrat Caesar: „Eorum satisfactione accepta et itinere exquisito per Divitiacum, quod ex aliis ei maximam fidem habebat, ut milium

amplius quinquaginta circuitu locis apertis exercitum duceret, de quarta vigilia, ut dixerat, profectus est. Septimo die, quum iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est, Ariovisti copias a nostris milibus passuum quattuor et viginti abesse." Iam primum tenendum est, eum locum, in quo, quae mox secuta est, pugna commissa narratur, ab Rheno flumine afuisse quinquaginta milia passuum; hoc enim spatium emetiendum erat fugientibus post pugnam Germanis c. 53, 1; Vesontionem autem (Besançon) a Rheno abesse vix centum milia passuum. Ex eo, quod c. 38, 1 narratur, Ariovistum, ut Vesontionem occuparet, tridui viam a finibus suis profecisse, postea autem (c. 48, 1) castra promovisse et milibus passuum sex a Caesaris castris consedisse postridieque milibus passuum duobus ultra eum castra posuisse, apparet, pugnam medio inter illam urbem et Rhenum loco, vel potius propius Vesontionem quam Rhenum commissam esse. Et tamen Caesar, ut eo usque perveniret, ubi milibus passuum quattuor et viginti a se abesse Ariovistum cognovit, a Vesontione septem dies, itinere non intermisso, locis apertis profectus esse dicitur. Iam licet addas ad veram viae longitudinem circuitum illum, quo exercitum, ut silvas et angustias viarum vitaret, duci voluit, adeo tamen haec abhorrent ab omni verisimilitudine, ut quemadmodum narrata sunt, credi nullo pacto possint. Unus, quantum ego scio, in ea re offendit Reichardus: geographische Nachweisungen der Kriegsvorfälle Caesars, edit. Herzogianae p. 681. Ibi dicit: Nach mehreren Vorbereitungen kam es zur Schlacht, worinnen Caesar siegte und der Feind bis an den Rhein floh, wohin er 50 mil. pass. hatte. Diese 50 Meilen sind das Einzige, die ungefähre Stelle des Schlachtfeldes zu bestimmen. Denn wenn auch Caesar angiebt, dass er vor der Schlacht in und um Vesontio mit der Armee gewesen, so lässt sich doch nicht annehmen, dass er 7 Tage zu einem Wege von nicht mehr als 3½ geogr. Meilen gebraucht, da von Vesontio an bis zu dem Punkte, wo er diese Nachricht empfing, nicht weiter ist, nämlich 24 m. pass. vom Lager des Ariovist. Haec ut expediret, hanc iniit rationem: Die 7 Tage müssen daher von einem südlicheren Orte [als Vesontio] angenommen werden, den uns Caesar jedoch zu bemerken nicht für gut befunden, somit dieses Maass keinen Anfangspunkt hat; wollte man das Maass der 7 Märsche Caesars von Vesontio aus nehmen, so würde der Endpunkt, durch das Maass der 50 m. p. vom Rhein her festgestellt, in die äusserst waldige und bergichte Gegend des nördlichen Elsass fallen, wo eine Schlacht und Schlachtgegend, wie sie Caesar beschreibt, nicht vorfallen konnte. Haec permira sunt. Omnia enim, quae in superioribus narrantur, apertissime declarant, septem his diebus non potuisse annumerari illius itineris dies, quod prius fecit, quam Vesontionem venit; nam cum Vesontione, ubi plures dies commoratus est, profectus dicatur, non potest aliud illius itineris initium cogitari. Ita igitur res expediri nequit. Nec videtur omnino dispici posse, qua arte effecerit Caesar, ut in tantulo spatio emetiendo tantum temporis consumeret, nisi quis putat, eum animi caussa ambulavisse cum exercitu, quem prudens dux orta subito post miram trepidationem animorum alacritate quam celerrime hosti obviam ducere debebat. Neque vagatus est, ut Ariovisti stationem investigaret, quem sciebat tridui

viam a finibus suis processisse et recta via Vesontionem petere (c. 38 init.), quod ipsum demonstrat, ineptissimum futurum fuisse Caesarem, si tot dierum circuitu a recta via aberrasset, quoniam aperte verendum fuit, ne interea Ariovistus Vesontionem occuparet, quod ne accideret, magno opere sibi praecavendum existimabat (ibid. §. 2.). Accedit, quod ea ipsa, quae addita sunt „cum iter non intermitteret“, demonstrant, breve propter hanc festinationem significari itineris tempus. Haec omnia ita comparata sunt, ut „septimo die“ non possit non suspectum videri, quamquam non fugit me, Plutarchum Caes. c. 19. dicere: *ὁρμῆς δὲ καὶ προθυμίας γενόμενοι πλήρεις ἅπαντες ἠκολούθησαν ὁδὸν ἡμερῶν πολλῶν, ἕως ἐν διακοσίοις τῶν πολεμίων σταδίοις κατεστρατοπέδευσαν.* Videtur enim iam antiquissimo tempore in numeri nota peccatum esse, qui error ut facillimus ita frequentissimus est. Quamvis autem certum sit, longe brevius illud fuisse tempus, ut vel extremo die, quod aliquando scribendum putabam, in eum, quem dicit, locum Caesar perventurus fuisse videatur, nolim tamen quasi in re aperta quid scribendum sit pronuntiare, quandoquidem in eiusmodi locis, in quibus plura vera esse possunt, rectius ignorationem modeste fatemur, quam temere sapere audemus.

Ad ea, quae supra p. 5. de libr. II, 30 dixi, addo, Theodorum Döhnerum, collegam amicissimum, cui et ipsi persuasum est, „in muro collocare“ ferri non posse, atque eam, quam dixi, sententiam necessario requiri, pro librorum fere omnium scriptura „in muros“ „moturos“ scribendum putare, deleto, ut a me propositum est, v. „collocare.“ Quae coniectura litterarum similitudine magis etiam, quam quod mihi placuit, commendari videtur.

Quos praeterea collectos habeo locos, de quibus aliter atque vulgo fit iudicandum mihi videtur, de iis alio tempore dicam.